



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 10. De procuratore fisci, & ejus Substitutis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

interesse prosequentibus, si quid sponte dare voluerint, illud acceptare.

6. Plerumque etiam committitur huic Advocato munus Promotoris Fidei, hoc est Advocati Fiscalis, vel opponentis in causa beatificationis, vel cultus, aut Canonizationis servorum Dei; Ideoque interest quoque Congregationi Rituum, aliisque conventibus, in quibus de ejusmodi materia tractatur. Non admittitur tamen ad Tribunal Inquisitionis universalis, cum hoc proprium suum, & particularem habeat Fiscalem.

7. Emolumenta eadem habet hic Advocatus, quæ habet Advocatus pauperum, & quædam etiam majora, cum is scribere possit in causis criminalibus contra reos accepta mercede ab accusatoribus, vel instigatoribus, quod licet licitum sit, indecens tamen videtur, ideoque moderni ut plurimum ab hoc abstinere solent.

§. 10.

## De Procuratore Fiscali & ejus Substitutis.

1. *Officium Procuratoris Fiscali.*

Mm 3

2. *Est*



2. Est in Curia magna auctoritatis.
3. Interest Procurator publicis Consistorii.
4. Gratis introducere causas debet.
5. Habet septem Substitutos.
6. Non potest instituere examen, nisi presente  
Iudice.

I.

**P**ROCURATOR Fisci fiscales causas in omnibus Romanæ Curia Tribunalibus *ex facto* instituit ac defendit, ideoque officium illius consistit in agendo & procurando, dictusque olim nunquam fuit Curator Reip. l. Curator C. de modo mulctarum.

2. Nunc in Romana Curia non mediocris est auctoritas illius, cum dicatur Papæ familiaris, accipiatque portionem ex Palatio, & vestibus utatur violaceis. Assistit quoque Iudicibus in causis fiscalibus, suumque votum saltem consultivum confert; Citari enim, vocari, & audiri debet in omnibus causis criminalibus quorumcunque Iudicum & Tribunalium, exceptis causis Fori Capitolini, & iis pro quibus in Fisco intervenire solet Camerae Commissarius. *Pallius V. Const. 71. Universi agri.*

3. Interesse



3. Interesse quoque solet publicis Confistoriis, & curare ut de rebus ibi publice gestis per aliquem ex Protonotariis Apostolicis ad perpetuam rei memoriam publicum conficiatur documentum, cum inter sit Reip. ejusmodi rerum conservare Testimonium. *Vestrius. l. 2. c. 9.* Nominatur ab ipso Papa, & in admissione ad Officium, quod manuale est, præstat in Camera juramentum fidelitatis. *paulus V. l. c.*

4. In introducendis causis nihil omnino ab instigatoribus accipere potest pro Decreto vel Subscriptione cujuscunque Monitorii. In prosecutione verò causarum non nisi moderatè pro labore ad commodum instigatorum subeundo admittere potest. Nihil verò à reis sub quovis prætextu.

5. Procurator septem habere debet Substitutos, quibus singulis Camera Scuta quinque menstrua persolvit, videlicet quatuor Substitutos pro Tribunali Gubernatoris, duos pro Tribunali Auditoris Camerae, & unum pro Tribunali Vicarii. Hi quoque Substituti pro inventariis, cassationibus processuum, citationibus, aut alio quocunque prætextu à reis nihil prorsus,



sus, nec esculentum aut poculentum accipere possunt sub pœna infamiae, privationis officii, & inhabilitatis. Paulus V. l. c.

6. Reos nec ipse Procurator Fisci nec ejus Substituti interrogare, aut testes examinare possunt, nisi in præsentia Judicis; Neque dare possunt mandata voce vel in scriptis de capiendo quempiam, nisi in periculo fugæ & Judicis absentia. Non tractet Procurator de compositione cum ipsis reis, sed expeditioni causarum incumbat; Si reus compositionem petat, fiat cum interventu Judicis. Neque etiam Procurator quavis ex causa quiequam à Substitutis suis recipiat, sed omnia emolumenta illis liberè & integrè relinquat. Si Substituti illi ad reformandos processus extra Urbem mittantur, ultra victus & equorū impensam debita quoque & taxata viatica nil recipere possunt. Paulus V. l. c.

§. II.

## De Commissario Camerae Apostolicæ.

1. Qualis Commissarius esse debeat.

2. Quod